

**Dissertatio inauguralis medico-practica de exanthematibus non contagiosis ... / submittit Franciscus Steininger.**

**Contributors**

Steininger, Franz.  
Universität Wien.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Vindobonae : Ex Typographia Ignatii Grund, 1784.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fv8tpz85>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Ande Lyöts

Dp


so sthatische

Vindobu 1784

aus i Eignel Dp und

• Kollation

---




6.  
DISSERTATIO  
INAUGVRALIS MEDICO PRACTICA  
DE  
EXANTHEMATIBVS  
NON CONTAGIOSIS,  
EVAM  
ANNVENTE INCLYTA  
FACVLTA TE MEDICA  
IN  
ANTIQVISSIMA AC CELEBERRIMA  
VNIVERSITATE VIENNENSI  
PRO DOCTORATVS LAVREA SVMMISQVE IN  
MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS  
LEGITIME CONSEQVENDIS,  
PVBLICAE DISQVIVISIONI  
SVBMITTIT  
FRANCISCVS STEININGER,  
VINDOBONENSIS.

*Disputabitur in Vniuersitatis palatio  
Hora  $\frac{1}{2}$  Die 14 Mensis Augusti.  
Anno MDCCCLXXXIV.*

---

VINDOBONAE,  
EX TYPOGRAPHIA IGNATII GRVND,  
IN AVLA S. CRVCIS.





## MILIARIA.

Sunt exanthemata cutis phlyctenoidea, milii  
feminum magnitudinem habentia.

Febris miliaris eodem modo se habet,  
ac alia quaecunque febris, hinc auctores pra-  
ctici eam diuisere in febrem miliarem *beni-  
gnam* et in *malignam*, et cum per saepe etiam  
in hominibus omni febre carentibus miliaria  
obseruentur, hinc etiam in *febrilia* diuisa  
sunt. Solent praeterea illa diuidere ratione  
humoris contenti in miliaria *alba* et *rubra*,  
in *crystallina*, quae paruas gemmas aut  
guttas crystallinas aemulantur; *purulenta*,  
*lacteae*, si humor contentus pus aut lac aem-  
uletur. Habetur et alia quaedam diuisio a



tempore et loco in *epidematica* et *endemica*; quae *endemica* obseruantur in locis depressis, paludosis, in corporibus debilibus, laxis, pastaceis, et ubi morbi lymphatici, pituitosi plus aequo grassantur.

Ad formas morborum etiam hoc pertinet, videlicet non posse ex notis aeris et atmosphaerae qualitatibus repeti, quare ea ipsissima febris hoc anno hanc habeat formam peculiarem, alio anno aliam, & quare etiam hoc anno aliam quoque corporis partem infestet praepriis; hoc certe a manifestis aeris qualitatibus repeti vix potest, et uniuersim huius variantis formae causa in eadem febre diuersis annis ignota est et procul dubio semper erit. Non quilibet homo obnoxius est miliaribus, sed illa potissimum corpora, quae exhausta sunt longis aliis morbis, venere, studiis nimis, etiam corporalia, quae magnam humorum jacturam, praecipue sanguinis euacuationes nimias passa sunt per venaesectiones intempestiuas, vel alia quacunq; ratione; Homines sedentarii plus infestantur miliaribus, quam robusti et exercitati, dein et debiles foeminae et inter foeminas chloroticae potius prae robustis et sanguineis; uniuersim subjacent pituitosi, pastacei



cei et illi, qui victu crudo, farinaceo, pauperrimo utuntur.

Ipsa febris, quae miliaria sibi juncta habet, non semper est una eademque, sic si febris biliosa mala methodo tractetur, alexipharmaca, stimulante, si materia biliosa et saburalis vi et stimulis variis adigatur in secundas vias et posteriores, dum urgetur nonnunquam ad superficiem cutis, et ibi partim difflatur cum sudoribus, partim ejus crassior pars in extremis vasculis haeret, et compareret in superficie corporis forma exanthematis miliaris. Febres ergo biliosae curatae mala methodo alexipharmaca nonnunquam miliaria faciunt, et ut plurimum rubra praec aliis. Etiam methodus mere antiphlogistica feбри biliosae applicata non raro miliaria facit, si nempe potus mere antiphlogistici dentur, euacuatio aluina aut gastrica prohibeatur, hujusque loco potius venaesectiones in usum vocentur, dum sabura non quidem vi adigitur in secundas vias, sed euacuato systemate sanguineo diluta materia saburalis in massam humorum circulantium resorbetur, circulabit etiam per totum corpus, et subinde deponetur ad superficiem corporis forma miliarium; hinc febris biliosa male tractata, nempe





pe methodo mere antiphlogistica, aut methodo recte opposita alexipharmaca subinde degenerat in febrem miliarem ratione prius dicta. Quod si autem febris biliosa subjicietur suae methodo antibiliosae, materiam dilutam aptamque redditam per superiora vel inferiora pro exigentia rei euacuemus, dum miliaria vix errumpent, cum hac ratione pabulum subducatur miliaribus alias gignendis aptum. Interim tamen, utut febris biliosa male curata abeat nonnunquam in miliaria, alia tamen febris est, quae subin miliarium eruptionem sibi junctam habet, febris nempe sic dicta lenta neruosa Huxhami, quae et saepissime miliaribus stipatur. Haec febris lenta neruosa residere videtur potius in systemate lymphatico quam in systemate sanguineo. Fuere jam aliqui, qui initio hujus saeculi febrem hanc miliarem, ubi miliaria crystalina erumpunt, appellarunt febrem lymphaticam.

Dicendum jam de eruptione miliarium, quae incerto die fit, non die, sic ut in variolis, morbillis statuto, haec errumpere omni die cum aut sine leuamine possunt, immo pejoratione morbi. Nonnunquam noua miliaria succedunt, priora desquamantur, non-

nun-



nunquam retrocedunt intra paucas horas vel ex parte vel ex toto. Mirabilis est illa subito miliarium retrocessio, quae nunquam aut vix unquam sine certo et subitaneo morte fit. Prorumpunt ergo haec incerta die, modo cum, modo sine leuamine, modo pro una vice omnes prodeunt, nunc per vices prioribus desquamatis fit miliarium novorum successio, nunc perstant multis diebus, nunc lente, nunc subito disparent. Possent ea propter miliaria rursus dispefci in critica et symptomatica, magnus enim est error illorum, qui vel omnia miliaria pro symptomaticis habent, aut omnia pro criticis.

Falsum quoque est asserere, miliaria omnia esse factitia, cum et illa nonnunquam morbo optime tractato appareant.

An contagiosa sint, nec ne? multum quaesitum est: Hac ratione uti lues, variolae, morbili, scabies contagiosa certe non sunt, cum inoculatione propagari non possint. Videmus quidem, quod certa quadam tempestate plures eodem morbo decumbant, verum tamen hoc est solummodo epidemicum, quod a contagioso discriminari debet, nam in epidemia communis quaedam causa agit in omnes,



hinc et plures ab eodem morbo afficiuntur, cum omnes ex eodem fonte bibant, omnes eadem atmosfera vescantur.

Erruptionem miliarium praecedit oppressio quaedam thoracis continua, catarrhosa quaedam conditio et tussis talis catarrhosa, quae jam ipso auditu percipitur esse catarrhosam potius quam peripneumoniam tussim. Inexperti continuam hanc thoracis oppressionem cum tussi catarrhosa confundunt, sed videtur peripneumonia notha, ab infarctis nempe vasis lymphaticis pulmonum. Soluitur tunc et tussis et oppressio haec thoracis oborto sudore largo peculiaris odoris, quasi aceti vapidi, quem sudorem excipit exanthema miliare, dumque cessat et tussis et oppressio illa thoracis aut ex toto, aut saltem mitigatur insigniter, ergo inter symptomata peculiaris febris miliaris haec tussis catarrhosa et symptomata peripneumoniae spuriae pertinent. Aliud quoque observatur symptoma, urinae nempe aquosae, crudae, non coctae, pulsus naturali vix celerior, artuum dolor quasi rheumaticus, ita ut inexperti ab initio credant, se solum curare febrem rheumaticam, donec oppressio thoracis major fiat, tussis sequatur cum sudore et exanthemate.

Non

Non quamuis partem ex aequo occupant haec miliaria, sed praeprimis collum, dum claviculas, sternum, latera, abdomen, faciem non. Illustrissimi Viri MAX. DE STOLL observationibus quoque constitit, quod foeminae, quo delicatiores sint, et viri quoque quo delicatiores, homines quo magis debiles et sedentarii, eo facilius ab his corripuntur, sed et facilius euadunt; Pessime mulctantur viri robusti et exercitati, licet hi rarius ab illo corripantur, sed correpti vix non semper moriuntur.

Periculosissima est complicatio febris miliaris cum febre inflammatoria, quod funestae observationes docuere. Putabant quidam authores miliaria infectis deberi, sed hoc rationi nimis contrarium videtur, quam quod refutari mereatur, plerumque sunt tales domesticae et intrinsecae causae, ut ad infecta cutanea recurrere opus non sit.

Quaeritur jam, quosnam canones practicos obseruare debeamus in cura febris miliaris? Sint sequentes: I. Remediorum omnium ea habenda est ratio, prout nempe ipsa febris exigit sine respectu habito ad miliaria vel absentia vel praesentia, et danda sunt aut



spiffantia, stimulantia, antiphlogistica aut etiam sudorifera, si febris praesens illa requirat. II. Etsi miliaria subin critica sunt, tamen vi nunquam sunt expellenda, non enim constat praecedenter de materia ad faciendam miliarem eruptionem apta, nec constat an omnis materia a superficie corporis excipiat; possumus quidem vomitum et aluum vi et arte excitare, immo non semper opus est exspectare, donec ipsa natura hanc excretionem moliatur, sudores autem nunquam praecoccupare debemus, ortos solummodo adjuvare, nam licet sudor saepe criticus sit, tamen a priori non certo nobis constat, dato sudorifero materiam morbificam per sudores posse euacuari, nulla enim certa habemus signa de materia morbifica ad superficiem corporis turgente, habemus autem signa materiae fursum, deorsum turgentis, uti sunt: amaror oris, nausea, plenitudo, ructus, flatus, et plurima alia, hinc hisce signis praesentibus non opus est exspectare, donec natura hoc faciat, sed quamprimum sciuerit, adesse borborigmos, leuem per vices diarrhaeam, flatus foetidissimos, leuem subinde dolorem colicum, pondus abdominis, dolorem lumborum etc. dum hisce signis praesentibus non exspectato naturae iudicio crismam faciam

faciam dato purgante. Ast alia longe res est de sudore, nam etsi sciam sudores criticos esse, quis medicorum tamen signa noscit, materiae turgentis, et ad superficiem dispositae. Enumerantur quidem ab aliquibus signa, quibus praesentibus sudorem instare conjicere deberemus, sed sedulo attendenti non difficile erit obseruare, haec signa admodum inconstantia, dubia, infida esse.



Omnia haec modo dicta etiam adplicari ad miliaria possunt, nam etsi superuenientium miliarium quaedam signa habeamus, tamen non ausim dare remedia, quae miliaria expelerent, fors enim materia nondum est ad exitum parata, fors nondum est ita subacta, ut a superficie corporis excipi queat; Vniuersim in omnibus his exanthematibus, miliaribus, petechiis, scarlatina, erysipelate methodus omnis solum ad ipsam febrem dirigenda est, non autem ad exanthema praesens.

III. Venaesectio per se ut plurimum nocet, nisi is casus sit, ubi febris inflammatoria simul jungatur, quales febres miliares cum inflammatione non adeo raro occurrunt. Praeter venaesectionem etiam cortex per se nocet,



cet, nisi febris talis sit, quae cortice indi-  
 geat, idem et de alexipharmacis, acidis mi-  
 neralibus, opio, camphora etc. dicendum.  
 Prodest potius infusum florum arnicae, quum  
 flores arnicae remedium efficacissimum, pe-  
 netrantissimum, soluentissimum, non solum in  
 systema sanguineum, sed et in lymphaticum  
 agens, sint. Prodest etiam infusum radicis  
 valerianae sylvestris, quod quoque dum eo  
 melius conuenit, si aegri, qui febre lenta,  
 neruosa tentantur, simul conuulsionibus ob-  
 noxii sunt; Moschus et castoreum dum ma-  
 xime prodest, quando tremores, conuulsio-  
 nes, subsultus tendinum adsunt etc. Interim  
 semper notandum est, dum conuenire stimu-  
 lantia, tunc antiphlogistica, tunc venaesectio-  
 nes, tunc vesicans, quando hac vel illa fe-  
 bris juncta hanc vel illam methodum exigit,

Authores qui de miliaribus scripserunt,  
 sunt: Illustris. L. B. de STÖRK, Celeb. COLLIN,  
 HAEN, ALLONIUS, HUXHAM, LINAEUS, SALZ-  
 MANN, STRAKIUS, HAMILTON, MOLLINARI,  
 BELLIIUS, STIK, MUCHART etc.

  
 P E T E C H I A E.  


Petechiae sunt maculae coloris varii, plerumque autem rubri. Vocantur maculae, quia visu potius quam tactu cognosci possunt; Morsus pulicum fat aemulantur.

Figura harum petechiarum valde diuersa est, et ut plurimum circularis, licet non raro et angulares occurrant. Petechiae solent etiam diuidi imprimis ratione magnitudinis in *lenticulares*, quae cæteris multo sunt frequentiores, sed simul minus periculosae ac aliae petechiarum species, hac quoque lenticulares petechiae paulo difficilius a morsu pulicum dignoscuntur. Dantur pariter petechiae *diffusae*, petechiae *magnae*, *non lenticulares*; *circumscriptae* dicuntur, quando habentur internalla, interstitia quaedam a petechiis libera, secus si sint, vocantur *confusae*; Ratione coloris diuiduntur in *laete roseas*, in *intense rubras*, in *purpureas*, *plumbeas*, *nigras*; non infrequenter etiam occurrit quadam petechiarum *morbilifarum* species, quae ex similitudine cum morbilis petechiae morbilosae nuncupantur.

Sedes





Sedes petechiarum est superficies corporis externa. Testimonio enim doctissimorum et fide dignissimorum virorum constat, eas visas esse in corde ipso, in pulmonum superficie, in pleura, intestinis, et vix est locus, vix aliqua occurrit superficies interna, quae non aliquando petechiis obsita visa fuerit. Saepius collum, pectus, brachia, venter, fœmora, crura ab his obsidentur, sed copiosiores fuere in iis partibus observatae, quae alias solent obtegi, uti in thorace, scapulis, ventre, dorso. Locantur in ipsa cute, in tella cellulosa, et penetrant nonnunquam pessimae petechiae subjectam pinquedinem. Fernelius, Dimerbrechius immo in musculis et in ipso adeo perioestio petechias viderunt.

Id etiam in petechiis observatur, quod si macula petechialis paulo major discindatur, dum sanguis profluit ac ex loco fugillato discisso, ita ut quaelibet macula petechialis possit considerari tanquam levis quaedam suffusio, tanquam vera fugilatio; pessimae autem petechiae sunt considerandae tanquam totidem plagae gangraenosae exiguae, tanquam maculae pestilenciales.

Petechiae pariter alia ratione solent diuidi diuisione petita ex ipsa febre aut praesente, aut absente, dantur enim petechiae *febriles*, quales plurimae sunt, sed dantur etiam *non febriles*, quales etiam non raro apparent; Dantur ergo et petechiae *chronicae*, quae multis saepe septimanis et mensibus perstant, quales et in scorbuticis obseruantur.

Videndum jam est, qualem prognosim maculae petechiales suppeditent: Petechiae lenticulares raro sunt periculosae. Sic obseruante Illust. de STOLL in Hungaria integra epidemia regnauit petechiis lenticularibus existentibus, sed in toto magno districtu unica solum vetula moriebatur, omnes reliqui conualuere absque ullo remedio vel uno solum emetico dato. Etiam hoc obseruauit Integerrimus Vir, febrem petechialem, quae petechias lenticulares habet, semper esse biliosam, aut vix non semper biliosam, aut biliosam simplicem, aut illam speciem febris putridae, quae saburralis obseruatoribus vocatur.

Petechiae methodum medendi nullam suppeditant, et uniuersim a petechiis nullam  
lam



lam defumimus indicationem, prouti diximus de miliaribus, ita etiam eadem regula obtinet quoad petechias, videlicet in methodo medendi petechias nunquam esse respiciendas. Non damus remedia, quae faciunt petechias prorumpere, nec etiam, quae petechias praesentes intropellant, petechiae ergo perparum ad curam, sed multo plus ad prognosim conferre possunt, scilicet illa febris, quae lenticulares petechias habet, minus lethalis et facilius curatum scitur, cum sit aut biliosa simplex per se non periculosa, aut putridae saburalis species, quae putrida saburalis inter reliquas febrium putridarum species est multo curabilior; Quod si autem videamus petechias morbilosas, eas peiores dicimus, cum his praesentibus morbus soleat esse tardior et difficilius curatum, immo et periculosior; Petechiae profunde rubrae sunt valde periculosae, nisi sint petechiae scorbuticae, quae etiam sunt profunde rubrae, attamen non periculosae, Morbus est valde periculosus et fere lethalis, si sint nigrae, magnae, nam tum plerumque certa mors instat; Petechiae virescentes certe lethales sunt; Alia species petechiarum etiam pessima est, quae vix non semper occidit, scilicet si sunt petechiae cinereae ita,

ut totum corpus sit variegatum marimoris  
instar, et tales petechiae raro non lethales  
sunt.

Solae tamen petechiae vix unquam ad  
bonam prognosim faciendam sola sufficiunt,  
sed semper etiam alia potiora symptomata  
simul considerata sunt. Symptomata autem,  
quae malam prognosim faciunt, sunt hae-  
morrhagia: petechiae cum haemorrhagia sunt  
fere semper lethales, praecipue cum hae-  
morrhagia vesicae urinariae; Petechiae cum  
vibicibus etiam valde periculosae, sic aegro-  
tantes aliquando mox acquirunt vibices in  
foemore, in tibia; Si una cum petechiis si-  
mul adsit facilis locorum cubando pressorum  
gangraenescentia, dum satis certo moriun-  
tur, Sic si V. g. retinerentur in lecto; dum  
illa loca premuntur, et si tunc intra aliquot  
horas gangraenescant, aegroti certo per-  
eunt, veteres enim jam obseruarunt, pessimum  
prognosticum signum esse petechias cum lo-  
corum cubando pressorum facili gangraene-  
scentia; — — Petechiae cum meteorismo ma-  
lae, et semper ferme lethales. — — — Non-  
nunquam petechiae et a morte primum ap-  
parent.



Magna quaestio orta est de petechiis criticis, FORESTUS, FRACASTORIUS, DIMERBREKIIUS, quia et ipse SYDENHAM adferit petechias criticas aut leuantes fuisse in febre pestilentiali, sed in aliis febribus ipse SYDENHAM petechias considerauit ut plerique alii auctores solum symptomaticas, non autem criticas; Vniuersim videntur petechiae aut nunquam criticae esse, aut vix unquam, excepta forte febre pestilentiali. Interim tempora fuere, praeterrito praepriis saeculo, ubi petechiae habebantur ferme semper criticae, sed modo non amplius. Haec opinio de petechiis criticis aut induxit, aut sustentauit pessimam illam methodum alexipharmacam, regimen illud calidum nostris temporibus feliciter proscriptionum, et a SYDENHAMO toties damnatum.

Quaeritur an petechiae sint nouus morbus, et an hic morbus sit peculiaris, sui generis et specificus. Petechiae ab antiquis iam descriptae leguntur, et idem ferre obtinet de petechiis, quod de miliaribus, maculae enim morsum pulicum referentes iam ab Hypocrate memoratae sunt, et uniuersum apud antiquos scriptores leguntur loca indubitata de petechiis, ut hinc dubium esse non possit;




At; Pothechiaae autem morbum contagiosum, morbum peculiarem uti variolae, morbili, &c. non constituunt, sed illa febris petechialis plerumque aut est febris biliosa, aut putrida saburalis, aut nonnunquam etiam febris lenta neruosa, febris pituitosa, verminosae, nonnunquam autem est quaedam peculiaris, non nominanda, anonima humorum corruptella et sanguinis dissolutio, qualis in scorbuticis obseruari solet; Vniuersim obseruatum est, febrem petechiis stipatam nullatenus esse unam eandemque, sed modo hanc, modo aliam. Nonnunquam petechiae junguntur febribus intermittentibus, et anno 1776 et 77 intermittentes quaedam tertianae obseruatae sunt petechiis lenticularibus stipatae, ut idcirco febris petechialis nulla sit specifica et sui generis febris.

Canones in curanda febre petechiis stipata sunt sequentes; Methodus medendi solummodo desumenda est ex natura febris nullo respectu habito ad maculas petechiales, hinc si sit febris naturae biliosae, lentae neruosae, indicationes desumendae sunt ex natura febris illius oblatae.



## SCARLATINA.



Scarlatina sunt maculae petechiis majores panum scarlatinum aemulantes, subinde profunde rubrae, subinde totum brachium depingunt. Distinguntur a morbillis 1. quod in morbilis major sit asperitas 2. Scarlatinae ab initio quidem discretae sunt, sed dein confluent 3. quoad tempus eruptionis, nam febris morbilosa est febris specifica et hinc symptomata propria habet, morbilli quoque statuta die errumpunt, fecus autem scarlatina. 4. Ruber scarlatinae color attactu albescit. 5. Scarlatinae decidunt per modum furfuris et subinde integra frustra de epidermide cadunt, morbilli autem aliquid farinae instar desquamant.

Scarlatinae grassantur tempore verno et autumnali praecipue et febrem non specificam faciunt, nam scarlatina modo biliosam, modo pituitosam, modo subinflammatoriam, modo febrem varie complicatam comittantur.

Methodus medendi determinatur solummodo ex natura febris praesentis. — — Scarlatina modo cum, modo etiam sine febre adest,

adeft, modo periculi expers, modo valde periculofa; Quandoque occidere vifum eft angina maligna ad afperam arteriam. — In adultis eft magis inflammatoria quam in pueris, et fi occidit, occidit angina plerumque maligna, angina gangraenofa; Etiam in ftatu conualefcentiae occidere poteft hydrope et leucophlegmatia. — — —

## VRTICA ET ERYSIPELAS.

Vrtica eft exanthema quali ortum ab urtica urente partim flauum, partim rupefcens circa anum. — Aeftate utplurimum obferuatur et eft modificatio billiofae febris; Jungitur etiam intermittenti autumnali billiofae indolis, et ut plurimum tertianae. Inter omnia exanthemata eft innocentiffimum et vix unquam mali moris.

Eryfipellas quibusdam annorum conftitutionibus multum graffatur, et eft diffusa elataque aliquantum rubedo, fplendens, urens, ad tactum digiti euaneſcens et albescens, plerumque inftar furfurum defquamans.


Diuiditur in *febrile* et *non febrile*, (licet ſine omni febre raro compareat) praeterea





terea in *suppuratorium*, *gangraenosum*, *phlegmonodes*, *oedemadotes* etc. Erysipellas habet febrem ut plurimum billiosam, saburralem junctam, et oritur saepe post iram, post terrorem, post acria assumpta etc. Saburra est acrior quam in alia febre billiosa, hinc etiam sanquis inflamatur, et oritur erysipellas; Haec quoque ratio est, cur hoc praesente saepe sanguinem mittere debeamus et antiphlogistica vix non per totum morbi decursum adhibere. — Multum quidem discrepant practici de sanguinis missione, sed illa ex cognita febre praesente determinanda; Si enim adsit saburra, dum non faciemus venaesectionem sed illam oppugnabimus.

Erysipellas et exanthema urticatum eadem anni constitutione grassantur, aestate nempe adulta et autumnno, ubi per diem magna perspiratio, ad vesperam autem obortum frigus perspirationem inhibet, quod perspirabile suppressum, delatum ad primas vias aut producet aut augebit saburam, delatum autem ad membranas faciet rheuma, si vero pars deferratur in primas vias, pars ad superficiem, dum saepe cum saburra fiet exanthema. Saburra in hoc casu eliminari debet *tamarindis*, *castia*, *manna* etc. vitium topicum


 cum exanthematicum autem leniter diaphoreticis. — Morbi paucissimi sunt, qui specificantur a causa excitante, quia haec facit diversos morbos, nam eadem perspiratio suppressa facit erysipellas, urticam, dyssentiam, rheuma etc. Morbi solum contagiosi specificantur a causa excitante exemplo luis, scabiei, variolarum etc.

Perspiratio impedita per frigus, per unguinosa applicata, plerumque in hominibus tenerioribus, irritabilioribus erysipellas sine febre producens prouocari potest leniter diaphoreticis, cæterum autem cura pro ratione febris et symptomatum variat, sic saburra sursum turgente emeticum, turgente deorsum purgans detur; in erysipelate gangronoso cortex et antiseptica conueniunt; in erysipellade phlegmonode cataplasmata emollientia, subinde etiam topica discutientia, calefacientia, sambucina, farinacea etc.

T A N T U M.



T H E

# T H E S E S.

---

## I.

**H**abentur exanthemata contagiosa et non contagiosa.

## II.

Febris miliaris, petechialis, erysipelatoza, scarlatinosa, urtica specifica non sunt.

## III.

Dantur miliaria symptomatica et critica.

## III.

Solummodo morbi contagiosi specificantur a causa excitante, reliqui non

## V.

Non omnia, sed pleraque solum venena respectiue venena sunt.

## VI.

Venena respectiua aeque medicamentosa esse possunt, uti medicamenta respectiue venenata.

## VII.

Anni tempora in curandis morbis optime attendenda sunt.

## VIII.

An ad euitanda a cadaueribus noxia illa solum extra pomoeria humare sufficit?

## IX.

Febres laruatae, quae sub schemate periculosi symptomatis ingrediuntur, cortice magna dosi et cito propinata oppugnari debent.

## X.

Si autem sub larua leuioris, non periculosi morbi lateant, methodo ordinaria tractentur.

## XI.

Febris puerperarum naturam epidemiae regnantis sequitur.

---